Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8260
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

etiam tegi aliis Alia vero pro actibus par-
ticulari Et ita vult magister Quod pec-
cata de quibus homo hic vere penituit
non patefient aliis in iudicio sed ma-
nebunt omnibus aliis abscondita Sed
ex hoc sequitur quod nec premia que
habuerunt hic de peccatis illis ab aliis
cognoscentur In quo multum detra-
heretur sanctorum glorie et laudi divine
qui tam misericorditer sanctos suos de
horum peccatorum liberavit Et ideo dicunt
doctores quod in iudicio generali quilibet
cuiuslibet alterius bona et mala cognoscet
Omnia enim quecumque nunc sunt occul-
ta nunc ibi erunt omnibus bona
et mala merita et peccata Et causa
illius est secundum sanctum thomam Quia
in ultimo et generali iudicio oportet quod divina
iusticia omnibus evidenter appareat
que nunc in pluribus latet Sententia autem
condempnans aut premians iusta
esse non potest nisi secundum merita et de-
merita proferatur Et ideo sicut oportet
quod iudex et assessores iudicii merita
cause cognoscant ad hoc quod iustam
sententiam futuram proferant Ita ad
hoc quod sententia iusta appareat oportet
quod omnibus sententiam cognoscentibus
merita innotescant Unde sicut cui-
libet nota erit sua premiacio et sua
dampnacio Ita ex omnibus aliis in-
notescet Ideo oportet quod sicut quilibet
sua merita et demerita reducet ad me-
moriam Ita etiam aliena eius cogni-
cioni subiacebunt Quantum ad 2m
e nondum Quod circa hoc fuit duplex
opinio Quidam enim dixerunt quod
omnia merita et demerita quilibet simul
videbit sua et aliena in instanti
Et illud de bonis facile credi potest
qui omnia in verbo videbunt scilicet in deo
deo et sic non est inconveniens
quod omnia illa simul videat Sed
de dampnatis quorum intellectus non
est elevatus ut possint deum vide-
re et in eo omnia alia est magis dif-
ficilis Et ideo alii dicunt quod vide-

bunt omnia simul in generali solum Et hoc suf-
ficit ad accusacionem illam que debet esse
in iudicio vel absolucionem Alii autem
videbunt omnia similiter descendendo ad sin-
gula Sed ex illud non videtur consonum
dictis Augustini vicesimo de civitate
dei qui dicit Omnia mentis intuitu
cernentur Quod autem in genere nostri
non cernatur Ideo secundum sanctum thomam eli-
genda est media via scilicet quod singula
videbunt omnes non tamen in instanti
sed in tempore brevissimo divina virtute ad
hoc adiuvante Et hoc est quod augustinus
dicit ibidem quod omnia celeritate cerne-
bantur ut hoc est impossibile quia in
quolibet ex parvo tempore sunt infinita
instancia Ad primum in oppositum
dicit beatus thomas quod publicacio peccatorum
que fit ad ignominiam peccantis
illa est effectus negligencie que committitur
in omissione confessionis sed quod tunc pec-
cata sanctorum revelabuntur Illud
non potest esse propter in erubescenciam
aut verecundiam peccantis ut marie mag-
dalene est in confusionem quod peccata
sua publice recitantur in ecclesia Vere-
cundia enim est timor ingloriacionis ut
dicit damascenus Qui timor in beatis
esse non potest Sed talis publica-
cio erit eis ad magnam gloriam propter
penitenciam quam de eis tam strenue perfe-
cerunt Dicuntur autem peccata per penitenciam
deleta quia deus non videt ea am-
plius ad puniendum Ad 2m patet
ex dictis circa secundum articulum Circa
hoc quod in textu dicit magister Quod
vox tube est vox filii dei Notat
Bonaventura Quod vox christi habet diver-
sas proprietates secundum tria vocabula
Erit enim virtuosa Et efficax Et
ideo dicitur iussus quia propter Corpora enim
mortuorum obedient ei cum dicit Sur-
gite mortui et fiet Erit vox au-
tentica Et ideo dicitur vox archangeli
i. principis angelorum Erit ergo vox
serena et evidens Et ideo dicitur vox tube